

THE  
WILLIAM R. PERKINS  
LIBRARY  
OF  
DUKE UNIVERSITY



Rare Books





בש הקבר

# RESURRECTIO INFANTUM NON- DUM GENITORUM.

Quam

EXERCITATIONE THEOLOGICA  
EXPOSITAM

Sub

P R Æ S I D I O  
V I R I

MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI ATQUE  
EXCELLENTISSIMI

DN. BALTASARIS BEBELII,  
SS. Theologiæ D. & Prof. Publ. Famigeratissimi,  
atque Ecclesiastæ Vigilantissimi.

*Domini Præceptoris, Patroni, at-  
que Promotoris sui filiali Cultu  
prosequendi.*

D. M. Julii clæ lœ LXXXII.

S O L E N N I T E R

*proponis*

M. JOANN-CONRADUS ARNOLDI,  
Trorbaco-Mosellanus.

---

ARGENTORATI,

Litteris JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.

SERENISSIMO.  
PRINCIPI. AC. DOMINO.  
DOMINO.  
CHRISTIANO II.  
COMITI. PALATINO. AD.  
RHENUM. DUCI. BAVARIÆ. COMITI.  
VELDENTIÆ. SPONHEMII. ET. ROCHSPOLETI,  
DOMINO. HOHENACCI, &c.&c.&c.  
PRINCIPI. PIO. FELICI. INCLUTO.  
*S. R. M. CHRISTIANISSIMÆ.*  
CAMPI. MARESCALLO. FORTISSIMO.  
STUDIORUM. MECOENATI. ATQUE. ASSERTORI.  
AUGUSTO.

*PATRIÆ. PATRI. VIGILANTISSIMO.*  
PRINCIPI. AC. DOMINO.  
SVO. CLEMENTISSIMO.  
*DISSERTATIONEM. HANC. THEOLOGICAM.*  
SUBJECTISSIMÆ. OBSERVANTIÆ. INDICEM.  
HUMILIMUS. INSCRIBIT.  
PARTUMQUE. INGENII. TENERRIMUM.  
IN. SINUM. AULÆ. UBI. CONCEPTUS. EST.  
BENIGNISSIMO. PATROCINIO.  
FOVENDUM.  
ATQUE. PRINCIPALIS. GRATIÆ. CLYPEO.  
PROTEGENDUM.

*DEVOTA. SUBJECTIONE. REFUNDIT.*  
M. JOANN - CONRADUS. ARNOLDI.

**N**ter præcipuos Christianæ fidei articulos est articulus de resurrectione mortuorum: *Magna enim est, & necessaria, iudice Cyrillo Hierosolymitano, Ecclesie Catholica admonitio & dogma*

*πίστεως καὶ νεκρῶν ἀναστάσεως, fides de resurrectione mortuorum. Catech. XVIII. Censente etiam Hieronymo; In Symbolo enim fidei & spei nostre, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta atramenti, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesie, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione includitur, de error. Johan. Hieros. t. 3. opp. Quod merito illi ita existimant; Nam ca est etiam Sacrarum literarum sententia: Nisi enim esset resurrectio mortuorum, etiam Christus non resurrexisset; nisi Christus resurrexisset, frustra esset verbi divini prædicatio, atque fides Christianorum, essemus adhuc in peccatis nostris, & deperditi essent qui obdormiverunt, nosque essemus omnium hominum miserrimi, quæ argumenta sunt accuratissimi disputatoris Apostoli Pauli 1. Cor. XV. 13. Qui verò his ipsis verbis innuit, fundamentum spei istius & fiduciæ nostræ, resurrectionis, esse resurrectionem Jesu Christi,*


*Credo equidem, neque vana fides,  
Corpora vivere, more animæ,  
Nam modo corporeum meministi  
De Phlegonte gradu facili  
Ad superos remeasse Deum.*

*Spes eadem mea membra manet,  
Qua redolentia funereo  
Fussa quiescere sarcosago  
Dux parili redi-vivus humo  
Ignea Christus ad astra vocat.*

Quæ fides fuit Christianiffimi poetæ, Prudentii, *xat.* hym. III. Estque ea spes omnium, & de omnibus inter homines, quotquot unquam veri homines extiterunt, adeoque etiam de iis, qui prius extincti sunt, quam lucem hujus mundi contemplantur. Existunt illi homines à primo conceptionis momento: Nam habent quæ hominem constituunt, animam & corpus ab isto Spiritu animatum, & simul, ac conceptum est in utero materno semen, concipitur, & appellatur masculus Job. III. 3. vel fœmella: Cujus Deus Deus est etiam dum semen adhuc est, utpote Deus etiam seminis nostri. O grande solatium! iis scriptum parentibus, qui viva suorum fœtum fiunt sepulchra. Nam spem hinc concipiunt, fore, ut quos non viderunt in hac vita, visuri sint in altera; Nam Deus est Deus vivorum, & non mortuorum. Matth. XXII. 32. Non frustra fuit, quod Dei Filius etiam concipi voluerit in utero materno, atque ita nasci, virtute Spiritus Sancti Matth. I. 20. Nam ideo voluit, ut ostenderet, se salvatorem esse hominum etiam eorum, qui modo initium hominis sortiti sunt.

Sed nolumus in hac materia prolixiores esse, quoniam ex professo eam elaborandam in sese suscepit vir-juvenis præcellens atque Clarissimus, Dn. M. *Joh. Cunradus Arnoldi, Trerbacho-Mosellanus, S. Theologiz*






logiæ Studiosus perindustrius, Fautor amicus & Auditor noster, ut diligentissimus hætenus, ita dilectissimus. Versatus ille in Academia nostra jam ab aliquot annis, scholis Theologicis operam dedit strenuam, ex quo Giesam - Hassorum celeberrimam reliquerat; Nam in collegiis etiam privatis suam in audiendo industriam, & in disputando & respondendo dexteritatem non uno specimine Præceptoribus suis & commilitonibus comprobavit; Tandem consultum censuit, etiam publicam & solennem Cathedram conscendere, quo Patronis quoque suis, & plurimum Reverendo Dn. Parenti demonstraret, quantum inter privatos parietes profecerit. Delegit autem disputationis thema de resurrectione infantum intra uterum maternum ex quo concepti sunt vitæ sua defunctorum. Rara materia, quæ ingenium requirit non solum in Theologicis, sed etiam Philosophicis exercitatum & subactum. Ea certè dexteritate materiam istam ipsemet elaboravit, ut nihil rerum in ea vel publica censura notaret, vel nos desideraremus; Neq; dubitamus, quin scripti hujus sui promptam etiam è Cathedra Academica rationem sit redditurus. Faxit Deus, pater luminum, ut dona, in civem hunc nostrum Academicum collata, indies crescant, ut per ipsum, tanquam selectum organum, Dei gloria, Ecclesiæ salus, familiæ decus, & suum ipsiusmet commodum feliciter promoveatur. Pêrscripsit Argentorati mense Julio, Anno 1682.

Exercitii Præses.





S. I.

**L**lustri ac verè καθερα fuit συμβολη  
 quæ electo Dei organo D. Paulo cum Stoicæ atque  
 Epicuræ sectæ Philosophis intercessit A. XVII,  
 18. seqq. viribus ac numero concertantium quî-  
 dem impar, sed exitu atque victoriâ spectatoribus quàm Ago-  
 nistis salubrior; Ex his enim Paulus σπερμολογῆ καὶ ξίαν δαιμο-  
 νίων καταγγελεύς, ardelio & peregrinorum Deorum præco, est dictus, isti  
 verò cum sectatoribus κατὰ πάντα ὡς δεῖσι δαιμονίες εροι dici merue-  
 runt, quibus omnibus tamen felicitatis gloriâ spectatores quî-  
 dam, inq; illis Dionysius Areopagita, antecesserunt, dum istoc  
 insigniuntur encomio v. 34. quod κολληθέντες αὐτῷ sc. Πάυλω, ἐπί-  
 σευσαν, adjungentes sese illi (Paulo) crediderunt, nimirum hoc erat  
 victoriæ brabeum, cedenti quàm acriter repugnanti certissi-  
 mum; Materiam verò collationis acerrimæ objectivam propo-  
 nit v. 18. ὅτι τὴν ἰσθὺν καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῖς ἐνγγελίξει, quod Jesum  
 & RESURRECTIONEM annuntiaret illis, hæc enim erat, quæ  
 sensibus istorum Philosophorum contraria, ridicula verò ra-  
 tioni videbatur, ex qua eandem ὡσπερ ἐξ ἀκροπόλεως impugna-  
 runt, impugnatam finibus ac pæmoeriis suæ religionis elimi-  
 narunt, nihil omnino etiam curantes, quicquid à Platone suo  
 de ἀναβιώσει magna, magno illo anno exacto, speranda edocti  
 fuerant, uti apud Eusebium (α) videre est, cum Stosæ potius (α) lib. II.  
 atq; Περιπλάτῳ accederent, regressum à privatione dari ad habi-  
 tum; negantibus, hinc cum Plinio (β) atque Festo A. XXVI, de Præpar.  
 24. dementia judicant, vitam morte iterari, si qui autem Evang. c. 18.  
 fuerant, quibus aliquid suboluit de hac doctrina, non id suo lumini, sed (β) lib. 7. 55.  
 traditioni quanquam feculente atque corrupta debuerunt, prout egregie  
 B. Dannhagorvus (γ) existimat, (γ) Hodof.  
 Phan. XII.  
 pag. m. 1452.

§. II. Manet proinde *Fiducia Christianorum Resurrectio mortuorum*, à quo Tertulliani testimonio, in exordio libri de Resurrectione posito, nec Poëtarum Campi Elysi, aliud persuadere, nec iudex Rhadamantus secus judicare poterit, quoniam propria Christianorum fides est, in qua primarius salutis ac religionis ipsorum cardo vertitur, cui si ullus falsitatis aut dubii obex objiceretur, frustra esset spes omnis, fides, charitasque, imò vis consolandi præcipua in argumento Apostoli 1. Thes. IV, 13. periret, quando causa contristandi, sequeretur mœrore immo- dico conficiendi, καὶ ὡς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα, non tolleretur, sed potius dolori juxta atque securitati porta aperiretur latissima, vitæque Epicurææ materies copiosa, qualis ab Ecclesiaste cap. XII, 1. haud obscure intimatur.

§. III. Quamobrem ex altiori instructi principio firmissi- ma fide ἀνάστασιν νεκρῶν Resurrectionem mortuorum credimus atque cōfitemur, etiamsi ratio, de potentia divina minus forte dubia, de voluntate tamen dubios nos reddere velit, hanc enim cla- rissima V. & N. T. συμφωνία satis superq; probarunt testes omni- exceptione majores, οἱ ἄγιοι Θεοῦ ἀνδρώποιοι, Sancti Dei homines, exq; illis pluribus ostensam Theologi & imprimis B. Gerhardus (d) exposuerunt; Multorum instar unus esse poterit insignis lo- cus Johann. cap. V, 28, 29. Ubi primò omnium Salvator dubia rationis, fidem remorantia, occupando removet, inquires: μὴ θαυμάζετε τὸτο, illud scilicet, quod in prioribus περὶ τῆς ζωῆς νεκρῶν ζωῆς de vita mortuorum dixerat, quæ proditura sit à solo Deo unitrino, causa efficiente, qui vers. 21. ὁ πατὴρ Pater vocatur, eique è vestigio ob essentia identitatem ὁ υἱὸς Filius adjungitur, id quod ex particulis ἔγω, καὶ ὡς, quæ non similitudinem tan- tum hic loci notant, sed identitatem atque indivisibilitatem, quæ, ut B. Dorstheus (e) contendit, ex identitate atq; indivisibili- tate operandi ἕως ἀφ᾽ ἑᾶς vers. 17. ex asserta sibi per eam θεότητι vel ἰσοθεότητι v. 18. ex ποιμάτων ὁμοιοποίησει v. 19. ex κοινῶν ζωοποιήσεως libertimæ, apparet; cùm verò Filius causa meritoria Resurre- ctionis sit, humana ipsius Natura ab hoc Apotelesmate excludi non debet, utpote quæ v. 27. expressè per τὸ ὅτι quia specifica- tur, ἔτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν, quia filius hominis est, hinc etiam caro Chri- sti semper vivifica in S. Cœna à communicantibus percepta

non

(d) L. de Re-  
surrect. p. m.  
991. & 1036.  
899.

(e) Theol.  
Zach. P. 2.  
D. 8. §. 3.

non exigui ponderis argumentum pro Resurrectione suppeditat, quo *Nonnemo* multivariæ eruditionis fama excellens Theologus quandam Sedis Romanæ Ep. Columnam non infimam C. de B. illius veritatem (serione? Deus novit,) negantem, in familiari colloquio convicit, cum exigente domestica de Transsubstantiatione hypothesi, se carnem Christi computrescere nesciam comedisse, inficiari nequiret; Ne tamen piorum aut etiam Christianorum tantum Resurrectionem intelligamus, asseritur Filio datam esse *βζωσίαν*, quam non tantum de summo faciendi jure, uti Beza male interpretatur, sed de absoluta *ἀποκαταστάσιν καὶ ἀναστήσιν καὶ καρδιουργίαν δυνάμει* exponendam esse, B. Menzerus (?) docuit, atque hac summa ac liberrima potentia impios quoque, etsi vi justitiæ divinæ, in vitam revocat, verum ad judicium v. 29. Spiritui S. quoque eandem tribuendam esse, Indivisio operum divinorum ad extra ex Rom. VIII, 11. evincit.

§. IV. Resurrectionem autem mentis ac in peccatis mortuorū Eph. II, 1. uti alias *ζωοποίησις*, quam B. Dannh. Elect. propriam esse ex 1. Cor. XV. 22. probat *Hodos. p. 1445.* innuere posset, ne quis interpretetur, talem Evangelista eam describit, quæ sit *ἐγέρσις*, quamque sequatur *κείσις*, atq; inde à parte piorum beata *ζωοποίησις* v. 21. 22. insuperq; apertius *universalitatem* ostendit v. 28. quando *πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*, generali periphrasi mortuos, audituros esse dicit vocem Filii Dei, atque secundum opera examinatos vel vitæ beatæ, vel iudicio condemnatorio sistendos v. 29. quæ objecti universalitas evidenti Parallelismo jam olim à Daniele cap. XII, 2. est prædicta, & de propria carnis resurrectione, contra Metaphoricam è vita ærumnosa sub Antiocho ad statum lætiorem, rectè à *Cassp. Sanctio* (u) vindicata: Cui fiducialis Jobi Confessio c. XIX, 25, addatur, h. l. pag. 533. Conf. *Hodos. Dannh. pag. 1448.* omni fideli est permixtum, quoniam eadem ubivis & credendi & salvandi ratio est. Act. XV, 11. quare facessant hodiernorum Judæorum deliria, ex cerebro putidis Talmudicorum Rabbitorumque lacunis humectato, contra universalem Resurrectionem deprompta, his enim ipsis à parentibus suis sese degenerasse ostendunt, utpote qui, exceptis Sadducæis Christi Antagonistis Mat. XXII, 31. 32. eam negasse nullibi in Scriptura le-

guntur, hinc etiam ulteriori ejus probatione, quam nec instituti ratio nec brevitatis studium admittunt, superledemus, sigillum addentes verba *Augustini* (θ) Resurrecturam carnem omnium, quicumque nati sunt hominum, atque nascentur; & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.

(θ) *Enchir.*  
*ad Laurent.*  
*cap. 84.*

§. V. Posita autem ea, exque S. literis confirmata, potiore jure, quam olim Illustris Regni Poloniae Marecallus *Lucas Opalenius*, raro quidem inter Magnates exemplo, sed parum felici, de Ecclesia praescripsit, (ι) uti placido quodam examine ostendit *Maximè Rev. Dn. D. Hamnekenius*, Praeceptor ac quondam

(ι) *de Officiis*  
*l. 3. part. 3. c. 1.*  
*pag. 395. seqq.*

Hospes meus aetatem venerandus, potiore, inquam, jure nos de Resurrectione praescribere possumus, nihil ab ea excludi vel excipi debere, quicquid hominis olim cecidit, siquidem exinde Graecis *ἀνάστασις* dicitur quasi *ἀναστήσει τὸ πνεῦμα καὶ σὰς*, E. absurdum foret infantes excludere, qui vel *διὰ τὸν μήτρα* in utero materno sunt extincti, atque subinde antequam nascerentur cum matribus computrescunt, vel etiam vi aut inhabilitate abortu ejecti, non

*ἔτι καὶ ἐκ τῆς* secundū tempus vivifica, quo vivum puerpera edit partum, nascuntur, (uti illud *Gen. XVIII, 10.* Rabbini nonnulli exponunt haud improbabiliter) sed ante illud perierunt, cum & ipsi in censum verorū hominū omninō referri mereantur, ut bene exinde *B. Nic. Hunnius* (κ) concludat: *Das auß folgen wolte/das nit alle in gebohrne oder in Mutterleib formirte Kinder/sondern auch die nur erst empfangen sind/ und nit weiter wachsen oder gedenen/am Jüngsten Tag erstehen werden: quibus succinctè consentit B. Danb.* (λ) *non item*, inquit, *infantes in utero extincti; excipiendi sunt*, nempe à resurrectione, hinc meritò quoq; jam olim *August.* (μ) in Affirmativam inclinat, etsi affirmare non audeat. evidenter nimirum, id acturam resurrectionem, ut quicquid formæ defuit, impleatur, negare tamen id non audet.

(κ) *Epis. cre-*  
*dend. §. 906.*  
*cap. XXX.*

(λ) *Hodof.*  
*pag. 1453.*

(μ) *Enchir.*  
*cap. 85.*

§. VI. Et cur quæso negabimus? cum omnium omninō hominum universalis Resurrectio ex Scripturis sit plus quàm certissima, curcunq; autem essentialis hominis partes conveniunt, anima a stus informans, & corpus potentia actuata & informatum, is omnium Philosophorū consensu verè homo est; sed factibus

bus quondam viventibus, in utero matris vel extinctis, vel per abortum ejectis, hæc essentialia hominis partes conveniunt, quæ constans est, & S. literis conveniens plurimorum cum Physicorum, tum imprimis orthodoxæ veritatis assertorum Theologorum sententia, quare nec infantes vel fœtus istos esse homines ullus negabit. Quod verbis *B. Kromajeri* (v) quàm (v) *Theol. Prof. Ar. 3. in Th. 4. ar. 12.* meis confirmare malo, cum & objectionibus, quæ moveri possent, sufficienter respondeat, *Negamus*, dicentis, *Embryonem non esse hominem*, cum etiam ipsum semen ab Aristotele ἀρχὴ σωματικῆ καὶ ψυχικῆ i. e. *principium corporis & anime*, à recentioribus, compendium totius hominis appelleretur. Sufficit semen hoc ens inchoatum certo caractere, nimirum humano esse limitatum, licet anima nondum, tanquam actus formalis (sed entitativus) ab initio statim conceptionis adfuerit. Infanti recens in lucem edito hac ratione quoque deneganda esset hominis appellatio, si defectum usus rationis & membra nondum satis à natura, per gradus non per saltus incedente, elaborata ad ætatem hominis justam & perfectam conferre animus esset; Hæc ille.

§. VII. Verùm abierunt ab hac sententia jam olim Stoici, eorumque sectæ ut plurimum addicti Jcti Veteres, quibus fœtus in utero, non pro vero homine, sed pro parte viscerum habetur, uti expressè *Papinianus* (ξ) negat, partum in utero rectè hominem dici, non secus atque *Plutarchus* (ο) philosophatur, quemadmodum fructus sunt pars arboris, qui cum maturaverunt, decidunt, ita & fœtus, qui cum in lucem editus, aëris percipit partem, animal demum fit; moderari quidem hanc philosophiam videtur Lectio Florentina (π) quando de partu ait, *quo vivo nondum animæ fueris*, i. e. qui conceptus nondum fuit, quia tamen, explicante Collegio Jur. Argentin. (ρ) animæ est fœtus conceptus, non actu, sed potestate tantum animatus, haud multum à priori differt, quam acriter sufflaminant, hodie Calviniani, atque alii, qui Creationem animæ defendere conantur, aut præexistentiam animarum asserendo cum *Origene* ejusq; hyperaspiste *Christoph. Sandio* delirare non verentur, quem errorem peculiari *Exerc.* demudavit egregiè *Max. Rev. Dn. D. Bebelius* Præceptor atq; Præses noster colendissimus;

diffimus; Quibus omnibus in hoc convenit, quod non à primo statim conceptionis momento anima sive modò, sive jam olim ante Creationem mundi creata, corpori fœtus infundatur, sed is, prius animâ vegetativâ, post sensitivâ vivat, hinc etiam ante eam animæ humanæ infusionem; quæ forma ac juxta Aristotelem Entelechia seu actus audit, homo dici non poterit, quicquid etiam *Comenius* ( $\sigma$ ) de *Spiritu mundi*, vices animæ rationalis supplente somniet, nec etiam ab anima astrorum vel cœli, ullum hic præsidium influens peti potest. Frustra enim illam conungi, licet vel ipse *Augustinus*, *Hieronymus*, *Thomas*, *Albertus M.* aliique ex *Platone*, *Aristotele*, atque *Arabibus Philosophis*, hausisse dicantur, uti ex illis probare conatur *Paulus Ricius* *Israelita* conversus; sed contra eum jam tum superiori seculo *Joh. Eckius* publicis contrarium demonstravit scriptis; stat ergo inconcussum: ubi propria hominis forma deest, ibi nec verus homo est. In designando autem vero hujus animationis puncto, *Hippocratis* (qui tamen & ipse aliter sensitse putatur) sententiam vulgò sequuntur, ad XL. circiter diem illud definientis, à quo & denominatio & operationes humanæ propriæ incipiant; Quorum rationes prolixius examinare haud vacat, ut quæ potissimum ex qualicunque convenientia rationis, atque consensu antiquitatis videntur depromtæ, uti videre est in disp. pec. de Propagat. speciei humanæ & imprimis Animæ à *B. Dorſcheo* habita.

§. VIII. Certè si in veterum de animæ origine sententias inquirere luberet, magnam inter illos deprehenderemus discordiam, ut nihil in præsentiarum de ejus essentia dicamus, quam *Hippias* aquam, *Democritus* ignem, *Diogenes* & *Anaximenes* substantiam aëream, *Heraclitus* scintillam stellaris essentia, alii aliud quid dixere, omnium tamen accuratius rem ac *Chryſippus* tetigit, Spiritum eam asserendo; Sic de ejus quoque origine, quot capita, tot differentes fere fuere sententiæ: ex pago omnium facile doctissimus *Aristoteles* ( $\tau$ ) solum intellectum ab extrinseco advenire docuit; Ex *Ecclesia Hieronymus Marcellino* & *Anapſychiæ* scribens, quinque recenset opiniones, ipse tamen creationi magis favisse videtur, in quam sententiam & *Augustinum* pertrahere conatus est, uti ex hujus

( $\sigma$ ) *Synopsi*  
*Physi. c. II.*  
§. 2.

( $\tau$ ) *lib. de*  
*animalibus*  
cap. 16.



ad illum libro de *Origine Anima* (v) apparet, dum inquit: *Ecce* (v) *lib. I. c. 7.*  
*volo ut illa sententia mea sit, sed nondum esse confirmo, cum enim vidis-*  
*set secuturum inde, quod injustus sit Deus, animas parvulo-*  
*rum innocentium noviter creatas damnando, concludit* (φ) (φ) *l. c. cap. 21.*  
*Ille de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatis-*  
*simam non oppugnat, sit & mea, si oppugnat non sit & tua, visum autem*  
*ipsi esse, eam oppugnare, inde videre est, dum respondentibus*  
*adversariis, animas idē damnari, quod in superiori vita pec-*  
*cent, atque in carceres carneos præcipitentur, ingenue fatetur*  
*(χ) non credo, non acquiesco, non consentio* 7. *Ne verò hos inter sco-* (x) *l. c. cap. 22.*  
*pulos alibi appellendo naufragium faciat; ipse τὸ ἐπιχειν* (ψ) (ψ) *l. c. cap. 14.*  
*eligit, ut doceam multi à me flagitant, eisque me sicut alia multa & hoc*  
*ignorare confiteor, quod & alii, ac imprimis etiam B. Lutherus,*  
*amplectuntur.*

§. IX. Nostrum igitur non est tantas componere lites,  
 sequendam potius ducimus dicimusque communem Ortho-  
 doxorum nostratium sententiam de animæ per traducem pro-  
 pagatione, utpote & S. Scripturæ & analogiæ fidei magis  
 consentaneam, ea enim vis est benedictionis divinæ Gen. 1, 28.  
 פרו ורבו ומלא את הארץ *fœtificare & multiplicamini & im-*  
*plete terram, quæ si reliquis animantibus vires dedit integram*  
*suam substantiam propagandi, quidni & homini? non enim*  
*solo corpore multiplicantur, non solo corpore implent ter-*  
*ram E. nec solo corpore fœtificant, sed & ratione animæ &*  
*quidem intellectualis multiplicantur; sine hac nec illud*  
*multiplicari potest. Unde non est, cur tantopere Galenus* (ω)  
*miretur, quod facultas vegetans ἢ λόγον ἢ σοφίη; ἀλλὰ καιρῶν* (ω) *lib. de*  
*πασιν ἄλογος* & *non solum non sapiens sed & per omnia irrationalis, opus* *fac. form. c. 6.*  
*tam admirandum, in quo λέγει καὶ σοφία μεγάλη, ars & Sapien-*  
*tia maxima, & quod ἄνευ σοφώτατε ἢ καὶ δυνατώτατε δημιουργῶ sine Sa-*  
*pientissimo atq; Potentissimo Moderatore, fieri non potest. efficerē non*  
*posse videatur. Totum enim illud generationis opus sapientiss.*  
*ac potentiss. Cœli & terræ creator per benedictionem suam ita*  
*fœcundavit, ut vi illius tota hominis substantia, corpore &*  
*anima constans, propagetur, cui propagationi nec immortali-*  
*tatem nec indivisibilitatē obstare, jam dudum docuerunt alii.*

§. X. Quamobrem statim ac semen animatum vasi conceptioni apto atque habili infusum, conceptionem efficit, eâ factâ, extemplo etiam fœtus animatus est ac homo dici meretur, uti & leges Lycurgi ac Solonis docent *ἄμβροτος* esse animal, hinc ab homicidii culpa purgari nequeunt, qui vel poculo abortitionis, vel concussionibus violentis, aut alia quavis ratione, eundem abigunt, imò merito capitalis illis statuta est pœna, verùm non, uti alias dicitur, quod spem tantum animalis, sed quod ipsum animal interfecerint, homicidii enim festinatio est, bene notat Gothofredus (α) prohiberi nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentium disturbet: Homo est, & qui est futurus, & fructus hominis jam in semine est. Nec hic distinctio Juris Canonici (β) inter partum animatum & inanimatum est admittenda, cùm forte nec Jus Justinianum ullibi ejusdem, meminerit, quod ostendere prolixius Jctorum est.

§. XI. Ne verò falcem in alienâ immittere videamur messem, mittimus ista: Et colligimus ex hisce, veram hominis denominationem intrinsecam fœtui quam primū conceptus est, quocunq; id die ac momento temporis fiat, convenire, atq; ideo adjunctorum quoq; humanorum capacem eundem esse, dumq; anima corpori, licet nondum perfectè efformato, juncta rursus solvi, atque ita totum emori, potest, idem quoq; in novissima die resurrecturum esse, rationibus supra allatis est conforme, & quidem hac ipsa in carne, quam vel jam tum consummatam habuit, vel habere incepit. Nam corpora, inquit B. Hilsemannus (γ) eadem specie & numero resurgent, quæ hic animata fuerunt, suisque animabus redunientur 2. Cor. V, 10. quare absurdi sunt Photiniani, aliam & spiritualem carnem comminiscentes, cùm illud cum natura Resurrectionis minimè conveniat; Idem namque Hebræis *חַיִּים וְחַיִּים* ac Græcis *ἀνάστασις* dicitur, quod sit reiterata statio illius, quod cecidit. Hinc post Jobum cap. XIX, 25, egregiè eos jam olim confutavit Augustinus (δ) suam, inquit, recipiet quisque mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus si ante est defunctus. At, inquit, infantes abortivi nullam habuerunt. Verum equidem, consummatâ abfuisse, non verò potentiâ consummandi, hinc

(α) adl. 9.  
D. S. 1. fin.  
ad L. F.  
(β) in c. Moy-  
ses 32. q. 2. &  
seq. addec. sic-  
us ex literar.  
hic c. quod ve-  
ro, 32. q. 2.

(γ) Brev.  
Theol. Extr.  
cap. XVI. S.  
XVI. p. m.  
452.

(δ) l. ult. de  
C. D. c. 15.

**hinc iterum Augustinus (1) eleganter, in abortivis & monstris inte-** (1) *Enchir.*  
*grabitur quod nondum erat integrum, insinuat quod fuit vitiatum, cap. 84.*

Idem quoque sentiendum est de membris mutilatis, amputa-  
 tis, à bestiis vel etiam hominibus absumtis. Misere enim alias  
 cum Hattone Moguntino atque Widerolso Argentinensi,  
 Episcopis ageretur in futura Resurrectione, qui (ut vulgò tra-  
 ditur) teste *Wimphelingio in Catal. Ep. Argens.* à muribus comesti  
 fuerunt. Ex eodem argumentandi fonte rivulos consolatio-  
 nis in martyrum, hujusmodi injuriis obnoxiorum, animos de-  
 rivat Augustinus (2) *Non erit deformitas in eis, sed dignitas, & qua-* (2) *L. 22. c.*  
*dam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* 20. C. D.

Idem de corporibus abortivorum asserere licebit. Materia  
 verò ex qua resurrecturi sunt est *nihil privatum* ארמה עפר  
*pulvis terræ* Dan. XII, 2. in quo dormiunt, quæ, ut moris Scripturæ  
 est, quandoque, pro ipsis ponitur hominibus, ut quando Joël.  
 I, 10. dicitur אבלה ארמה *luxit humus*, annotat ibidem R.

AbenEsra הסעם אבלי דושכיה *sensus est, luxerunt habitatores*  
*ejus.* Non injurià E. cum B. *Hülsemanno (n) Hugonis Grotii de* (n) *Brev. Ext.*  
*Atomorum reuniendarum necessitate fabellam, & R. Men.* c. XVI. *suppl.*  
*Ben. Israel (θ) de ossiculo humani corporis superflite, Latz* S. VIII.  
*dicto, commentum rejicimus.* (θ) *l. 2. de Resurrect. c. 15.*

§. XII. Rationibus hisce ex foetuum natura petitis eviden-  
 tissima porrò SS. Literarum accedunt testimonia, ex quibus  
 unum sufficiet, Genes. XVII, 7. ubi Deus fœdere cum Abra-  
 hamo ejusque semine icto promittit se fore ipsi לאלהיה  
 יהוהך *in Deum, & semini tuo post te*; Ubi (1) per ירע  
 non intelligitur semen illud unicum, in quo omnes populi  
 erant benedicendi & Χριστός Gal. III, 16. siquidem hic ipse Deus  
 erat, nec (2) tantum filii nepotesq; Abrahami adulti, qui cir-  
 cumcidi atq; terrâ promissam possidere poterant, sed ipsi quoq;  
 fœtus uterini, quorum curam non minus ac aliorum gerit, ut  
 patet ex exemplo Esau & Jacobi Rom. IX, 11. Gen. XXV, 23.  
 nec (3) solum semen Israeliticum, sed omnes fideles, ετι οι εκ  
 της υιοθεσιας υιοι Αβραάμ. Gal. III, 7. hinc etiam divino Salva-  
 toris nostri Syllogismo Matth. XXII, 31. 32. pro Resurrectione

(1) in Colleg.  
Bibl. N. T.  
Loc. XXIII.  
§. 19.

tum universali tum foetuum concludere, & formam propositionum cum Venerando Præceptore Dn. D. Seb. Schmidio (1) instituere poterimus: *DELLS non est DELLS mortuorum sed vivorum; At qui DELLS est DELLS Abrahami, Isaaci & Jacobi, & seminis ejus, E. Abrahamus, Isaacus & Jacobus non sunt mortui, sed vivi: & per consequens, aliquando ex mortuis resurgent, & cum iis alii quoque homines.*

§. XIII. Jungatur hisce votum miseri quidem, sed piæ patientis Jobi cap. III, 15. quo desiderat esse כנפֿל טמון sicut abortus absconditus, qui si nihil omnino foret, impium quiddam & naturæ etiam sibi relicte contrarium expetiisset, sed alia ipsi fides, alia spes fuit cap. XIX, 25. precatur potius hujusmodi mortis conditionem, in qua cessent malorum tumultus, acquiescant viribus contriti, oportet igitur foetus quoque ejusdem capaces esse; quales autem sint illi, optimè declarat Hebræum לֵבֿנֿי, per marcidos & flaccidos infantes qui membratim, uti Hipponensis Præsul loquitur (2) ejiciuntur ex uteris prægnantium, ne matres quoque, si mortui ibi relinquuntur, occidant. Talis ergo horum לֵבֿנֿי est conditio, qualis Jobianæ spei fideiq; est conveniens.

(2) Enchir.  
cap. 86.

§. XIV. Ex N. quoque T. testimoniis prolixè hæc veritas adstrui posset, imprimis ex universalitate jam supra ostensa. dictisque A. & XXIV, 15. Rom. XIV, 10. 2. Cor. V, 10. confirmata, quibus coronidis loco & illud adjiciatur, quod Christus ideo in utero materno jacuerit, quo se etiam infantum illorum ostenderet Salvatorem, testatus, horum esse regnum Dei Marc. X, 14. frustra autem foret ipsorum Salvator, nisi quoque resurrexuri essent, hæc enim ipsa (quam Conimbricenses (3) generationem veram vocant, sed non physicam verum hyperphysicam) generatio eorum hac in vita adhuc imperfecta complebitur. Nonnulli etiam disputant, qualis infantibus hisce in futura resurrectione assignanda sit ætatis ac staturæ mensura. Concludunt nonnulli ex visione Apocalyptica c. XX, 12. μικρὸς καὶ μεγάλους parvos. & magnos, esse futuros; Alii verò ex Eph. IV, 13. colligunt, mortuos εἰς ἀνδρά τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, in complemento ætatis ac staturæ Christi prodituros esse,

(3) lib. 1. de  
gen. & Corr. c.  
IV. Art. 1. §. 1.  
& alibi.

esse, quibus etiam haud obscurè favet Augustinus ( $\mu$ ) dum ( $\mu$ ) *l. m. c.* suam, ait, *quisquis recipiet mensuram, in tali equidem aetate juventutis, sc. D. cap. 15.* quæ circa XXX. annum currit, Christum resurrexisse legimus. Verùm, cum de hoc disputare nobis nunc non proposuerimus, in medio totam rem relinquimus, nisi quod in priorem sententiam magis inclinemus, utpote literæ conformiorem.

§. XV. De Sexu illorum similis ferè erit responsio, illum nempe futurum esse, cujus in conceptione dispositionem habuerunt, sicuti benè rursus Augustinus ( $\nu$ ) in resurrectione ex ( $\nu$ ) *l. de Eccl. dogm. cap. XL.* mortuis sexus forma non mutabitur, sed vir mortuus resurget in forma viri, & femina in forma femina, quare absurde quis omnes mulieres in virili sexu, (excepta B. Virgine) resurrecturas, & H. Gronovius ad Matt. XII, 30. sexuum discrimen partem *τῆς ἀδελφείας* esse, contenderit, qualis hominibus *ἰσαγγέλους* minimè conveniat. Quo autem præterea modo Parentes in futura *ἀναστάσει* hosce suos per abortum aut aliud infortunium extinctos, agniture, ipsique vicissim agnoscendi sunt, nescire non erubescimus, agnituros tamen esse, certum est, cum pars beatitudinis magna ex conversatione cum beatis Angelis & hominibus oriatur Ebr. XII, 23. cujus gnarus omninò erat David, dum 2. Sam. XII, 23. *אני הלאך אליי* ego ad illum abiurus sum, profitetur, quod etiam de nondum natis quin asseratur, nihil vetat.

§. XVI. Atque inde apparet, quid de horum Embryonum statu sit statuendum, num in Cælo an verò in Inferno eos simus offensuri? Pontificiis prompta hic est responsio, *Limbo Puerorum* illos adscribentibus, ita enim Becanus ( $\xi$ ) ait, *Limbus Puerorum* ( $\xi$ ) *Tr. de Pecc. Orig. c. 9. adde Bellarm. §. 1. de Purgat. c. 6.* continet parvulos in originali peccato decedentes perpetuo carituros conspectu DEI, nec tamen dolorem percepturos ob carentiam regni celorum, quem tertium animarum post hanc vitam statum cum Præceptore nostro ætatem suspiciendo Dn. D. Rudrauffio ( $\theta$ ) ex- ( $\theta$ ) *Sylog. Controvers. Theol. D. XXXVIII, Q. VII.* plodimus, quia Scriptura meminit duorum locorum post hanc vitam, tertium ignorat. Calviniani, ex quibus vide Pareum ( $\pi$ ) ex ( $\pi$ ) *in Resp. ad lib. VI. Bellarmini de Amiff. Grat. & St. Pecc. c. I. & in c. II. ad Rom. dub. IX.* absoluto Electionis & Reprobationis decreto iudicium ferunt. Nos medium tenentes, quicquid sit de embryonibus, & ipsorum incredulitate finali, si superstites mansissent, prævisa, vel non, prævia Scriptura asserimus, universalitatè promissionum divi-

divinarum *ἑνεχοῖς* etiam factam Act. II, 39. quæ tamen absoluta non est, docente Excell. Dn. D. *Isaaco Fauſio* (p) neq; necesse est ad contradicendum particularitati Reformatorem absolutæ statuere eam atque docere: Illam inquam suadere dicimus, de fidelium infantibus, pro quibus & vota parentum & preces Ecclesiæ intercedunt, non bene tantum sperandum, sed & ipsos ad vitam beatam resurrecturos esse; Quidquod & fidem eorum veram, ac statum, operationibus Spiritus S. hac imprimis conditione, minus resistentem, Jeremias atque Johannes Baptista suis confirmant exemplis.

- (p) *Hodom. Pap. Phant. XII. p. 1048.* enim τὸ ἀβάντισον, juxta *B. Danh.* (σ) intelligendum est *privativè*, de eo qui renasci ex aqua debuit potuitque, sed noluit. Quæ limitanda Baptismi necessitas præve olim intellecta ansam præbuit errori Veteris Ecclesiæ, in tertia etiam Synodo Carthaginensi stabilita (τ) qui defunctis etiam Baptismi (ut alias & Eucharistiæ Sacramentum) conferri solitus erat, quæ opinionem, quod Eucharistiam attinet, Augustini quoque & Innocentii fuisse, atq; in IV. adhuc, (imò etiam VI. post Christum natum seculo) in Ecclesia obtinuisse, exemplis à Theodoro Mopsuesteno præbitis sufficienter Excell. Dn. D. *Præses* (υ) ostendit; Firmamentum autem hujus erroris petium erat ex 1. Cor. XV, 29. ubi Paulus Baptismi ὑπὲρ τῶν νεκρῶν super (melius quàm pro) *mortuis* meminit; In cujus tamen dicti proprio sensu interpretes variant, quorum quidam volunt, quasi loco defuncti substitutus fuerit alius baptizandus: Alii, quod ipsa mater prægnans super embryone in utero extincto baptizanda sit, quam quæstionem sententiis in utramque partem allatis etiam ventilavit Anglorum ille Theologorum (uti vocatur) *Monarcha* (φ) *Part. IV. Alexander de Ales* (φ) atque pro negativa ita concludit; *Dicendum Opp. q. XVII. membr. II.* quod *parvulus dum est in utero materno non est susceptibilis Sacramenti baptismatis, nec per se nec ratione matris, qui enim adhuc natus non est secundum Adam, secundum Christum regenerari non potest, sicut dicit* (χ) *L. de Præf. Ifid. 61. sentent. Idem etiam Augustinus asserit* (χ) *si homo regenerari per gratiam in utero potest, quando restat adhuc illi nasci, renascitur ergo antequam nascitur quod fieri nullo modo potest, quorsum plura PP. dicta*

dicta spectant à Dn. Præfide l.c. (↓) allata. Nihil tamen horum ab Apostolo l.d. indicari, sed longè aliud quid, nempe argumentum pro Resurrectione peti ex ablutione in V. T. à DEO illis, qui mortuos contrestaverint; præcepta, pec. disp. ostendit Venerandus Senior Dni. D. Seb. Schmidius, ejusque Apologiam disputationi de Sabbatho *de vltimo pte ex Luc. VI.* præfixit. (ψ) A. E. S.  
IV. Art. VIII.  
sect. 1. §. 56.  
1792.

§. XVIII. Ita se habet fidelium infantum post mortem conditio, quæ tamen eò non est extendenda, ut cum Puccio affirmare sustineamus, infantes à nativitate omnes esse salutis capaces, & proinde nec regeneratione eos indigere; A qua Puccii sententia parum abeunt Calviniani, omnes infantes, licet non omnium sed tantum fidelium, ante susceptum Baptismum in fœdere atque gratia Dei constituentes, unde colligere etiam licebit, nec istos infantes Sacramento opus habere, uti & ipse Calvinus idem asserit. (ω) *Hinc sequitur non ideo liberos fidelium baptizari ut filii Dei fiant, qui alieni fuerint ab Ecclesia.* Verùm nos Scripturâ edocti, omnes homines peccato infectos nasci ex Joh. III, 6. Eph. II, 3, atque ita in statu iræ & condemnationis constitutos scimus, ut remedio, quò gratiæ atque fœderi Gen. XVII, 10. Act. H, 38. 39. quidem promisso, sed per sacramentum applicando, inferantur, quoniam uti B. D. Pappus (\*) ait: *Scimus promissionem gratiæ & Sacramenta conjungi à Domino, ideoque nulla humana auctoritate dividi & abstrahi ea oportere.* Nec juvat eos sanctitas liberorum 1. Cor. VII, 14. indicata, quippe ea *spiritualis* non est, juxta Anabaptistas, nec talis, quâ infantes juxta Calvinianos ab utero Deo placeant, sed *legalis & civilis, qua, secundum B. D. Balduinum ad h. l. additum habent ad privilegia Ecclesiæ, qua aliis, qui foris sunt, non conceduntur;* Fimus igitur non nascimur Christiani, quod tamen salutî infantum supra assertæ nihil derogat; De Infidelium natis, non idem certè quod de fidelium, ferendum esse viderur judicium; verum cum nihil ad nos qui extra nos, tutius à decidente sententia abstinemus, quàm temerè pronuntiando, aliquid omnipotentis atque justitiæ divinæ præscribamus.

§. XIX. Quantis proinde curis, quarumque sollicita vitæ temperantia embryones fovendi sint, agnoscas homo! quem divina

(ω) L. 4. Inst. c. 15, sect. ult.

(\*) in Comm. in A. C. Art. IX.

divinæ benedictionis inexhausta vis atque efficacia suavissimi honesti conjugii fructus sperare jussit: non sanè res est de nihilo, quod tot tantisque ac ferè inexplicabilibus alma natura eos communivit in utero sepimentis, nulla ergò vel incuria, vel etiam studio rumpenda, quæ ista connectit; sin casus aut infirmitates dulcissimo prolis desideratæ aspectu anxium curis animû frustrabunt, Deo confidas, sine cujus notitia atque voluntate nec homo interibit, cujus sine nutu ne capillus quidem in terrâ decidit; de vita ejus sis certus, quem cita mors, antequam in mundanis viveret, abripuit, de salute illius ne quicquam dubites, qui in terrenis salvus esse non potuit: privatus es sobolis gaudio, refarcietur id olim júbilo perpetuo; caruisse oportuit basis, tenerrimis in beata vita compensabuntur osculis, ubi quam infirmam amisisti, perfectam recipies, quam immaturam perdidisti, sine macula atque deformitate integram lætis excipies amplexibus. Sed idem illud terrorem tibi incutiat, secure peccator, quod solatium asferre possit; Deus est, qui conjugio benedixit, natura, quæ fecundavit, cave ergo benedictionem respuas temerè: Cavete, ferventibus impuri amoris flammis ardentes, voluptatibusque innutritæ mentes, ne in DEUM impiæ, in naturam injuriæ, inque sanguinem proprium crudeles sitis! non extinguitur affuso oleo ignis, nec vitantur in tenebris solis splendores; DEUS novit, animus accusat, vos quemet ipsos condemnabunt coram justissimo judice, quorum vitam, omnia humanitatis jura exuti, in primo quod ajunt ortu impiè suppressistis.

§. XX. Ast vereor, ne, dum de immaturis ago fœtibus, & ego novum atque immaturum quidem ingenii fœtum erudito orbi obtrudere velle videar; Quare si quid erravi, ignosce lector; si quid bene scripsi, mecum pro nixu hucusque producto verbis Apostoli Rom. XVI, 28. gratus con-

clama: *Μάγω σοφῶ Θεῶ δι' Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ δόξα εἰς*

*τὸς αἰῶνας, Ἀμήν.*

F I N I S.



